



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De typo siue figura veteris testamenti. Cap. LIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

& ad mores corrigendos, adhibeantur, non ad dogmata confirmanda, nisi postquam illa dogmata, antea fuerint comprobata.

De typo siue figura veteris testamenti.

Cap. LIIII.

**V**ALDE similis est allegoria typus, ita ut quidam alterum ab altero vix separare potuerint; est tamen aliqua differentia. Nam typus siue figura est, cum aliquid ex veteri testamento assumitur, quod significauerit, aut adumbrauerit aliquid gestum aut gerendum in Ecclesia: & ferè omnes typi siue figura adumbrant aut Christum venturum, eiusque passionem, resurrectionem, & reliqua mysteria; aut Ecclesiam, variosque eius status & mutationes, aut Euangelium, eius progressionem & incrementa. Allegoria diuersum quiddam est, ut diximus, siue enim ex veteri, siue ex nouo testamento sumatur, exprimit aliud diuersum ab eo, quod vocibus significatur, quod ad institutionem maxime pertinet. Animaduertat Ecclesiasticus orator ex eodem loco, diuersa ratione, posse sumi typum & allegoriam: verbi causa, pugna illa Dauidis cum Golia, est typus victoriae Christi, quam retulit de sathana; sin autem referatur ad nos, dici potest allegoria; ut, quemadmodum Dauid pugnavit cum gigante, ita pugnemus nos cum inimicis domesticis, sathana, mundo, carne, à quibus acriter oppugnamur. Typi pulcherrimi sunt multi: typus Ioseph, qui fuit venditus à fratribus, qui fuit figura Christi. typus Iona, qui tribus diebus fuit in ventre ceti, qui exprimit mortem et resurrectionem Christi. Item typus serpentis aenei & Sampsonis, in quorum tractatione Ecclesiasticus

sticus

sticus orator versabitur. Ipse memini, egregiū quendam concionatorē, cū Iosephi historiam narraret, & ostendere niteretur, illum fuisse typum Christi, lachrymas audientium excussisse. Poterunt clerici colligere, & commendare memoria illustriores typos, eosq; in suis sermonibus inserere: hortarer tamen, vt omnes eodem die non commemorarēt: eam enim commemorationem, satietatem peperisse, viri iudicio prastantes obseruauerunt. In solennitatibus fortasē aptissimè possunt accommodari. Sunt qui conciones suas exordiuntur ab aliquo typo, quem, vt monuimus, alio nomine possumus appellare figuram veteris testamenti; quam consuetudinem quis ausit vituperare? Varietati consulendum ducimus, vt libentiùs auditores accedant: & cauendum, nè in explicatione figurarum, tantum temporis consumatur, vt ad instituendam vitam, & ad corrigendos mores, debita cohortationes adhiberi non possint.

De tribus alijs parū vsitatis expositionum generibus, elementario, physico, atq; prophético. Cap. LV.

SUNT alia expositionum genera parū vsitata, elementarium, physicum, atq; propheticum. Cauendum Ecclesiastico oratori esse existimo, nè in cœtu hominum, longas disputationes de numeris, & elementorum significationibus instituat. res enim plena est obscuritatis, infructuosa, & à communi vsu loquendi abhorrens. res etiam diuinas ac salutare ad ordinem calorū, atque ad corpora naturalia, siue ad metalla referre, est hominis abutentis ingenio & philosophia cognitione, & salutem  
anima-